

III.
NEOVIDENSIS

Nro 44. (*Neovidensis* 1805. Nro 40.)

Ex campis Elysiis
Colloquium Politicum vita functorum.

Elysiium -Meum.--Die Martis 31. Veneris 1805 (Neov. 17. Maji.)

Audin' est patiens calamus, patiensque papyrus;
Undique verba fluunt; mendacia multa leguntur;
Multaque vera patent, quis ab illis seliget ista?
Devenit impatiens sic hæc patientia nostra.

Dialogus

Inter Germanicum, & Hollandicum rerum novarum scriptorem.

Hollandus. Ausimne interrogare, ex quo Regno? Frons, oculi, vultus Germanum notant. Rectamne insisto viam?

Germanus. Honori mihi duco, me esse ex Germania ortum.

Hollandus. Quid, honori? scisne, ubi terrarum simus?

Germanus. Proh dolor! nimium quantum sentio: sum apud inferos; sed etiam hic honorificum esse existimo, me germanica gaudere origine.

Hollandus. Forte hic magis, atque in mundo superiore. Inter supplicia inferorum solu-

tissimum mihi moves risum. Honorificum — esse germanum — hac ætate — & quidem in stygiæ noctis ergastulis!

Germanus. Quid sibi volunt hæc ampulata verba?

Hollandus. Germanicus rerum novarum scriptor suas laudes crepet, se magnifice circumspiciat, sine dubio propterea, quod digitos, & manus ligatas habeat, quod nihil audeat dicere, & tamen gloriam jactat! Res curiosa Germanicus honor — hoc præsertim ævo.

Germanus. Amice, cavillaris. Scito, Germanos inde a vetustis temporibus fuisse nobilissimum populum, & pro tali ab omnibus semper agnitum, sed etiam hodie absque omni dubio ex omnibus populis esse potentissimos ita, ut si, more Romanorum vellent suas vires conjungere ad evertendas alias nationes, universum orbem mitterent sub jugum. Ex magnis Nationibus Germani soli sunt, qui nunquam erant penitus victi, & multo minus aliis subjecti; atque hæc est ratio, quod illi soli vetus suum idioma purum, ac incorruptum conservaverint. Non tantum autem ipsi nunquam armis domiti sunt, sed etiam tales, qui omnibus cæteris nationibus jura dabant, vel certe cum illis bella gesserunt, quin propterea populus esse desierint. Germanici populi bello subegerunt Italiam, Galliam, Britanniam, Hispaniam, atque viatores in hisce ditionibus domicilium fixerunt.

Hollandus. Nos quoque floruimus, sed in præsentiarum?

Germanus. Nulla alia Natio potest de tot, tamque præclaris inventoribus gloriari, & quidem non modo in scientiis, verum in aliis etiam artibus, opificiis, atque occupationibus, quemadmodum nostra; Non nisi in nostra Patria excogitatæ, atque in effectum deductæ sunt magnæ illæ res, quæ toti Europæ, imo maximæ orbis universi parti aliã formam dederunt, quæ novos populos doctissimis licet veteribus longissime prætulerent. Ut de aliis nihil dicam, revocemus tantum in memoriam inventionem pulveris pyrii, & Typographiæ; meminerimus instauratarum rerum, quæ alibi quidem initium, at in Germania finem acceperunt; His adjungamus introductionem salutaris œconomix publicæ, eliminationem ex Aulis Germanicis pompæ orientalis, & fastus, denique ubique apud Principes Germaniæ vigentem Paternam, & fere Patriarchalem gubernandi rationem &c. Nulla alia Natio pollebat tantis viribus, ut potuisset Romanos, dominatores orbis, ita feliciter, & intrepide bello frangere, eorumque dominationem prosternere; Nulla alia tam diuturna, tamque cruenta gessit bella, ut non fuisset internecone, & victoriis aliarum Gentium attrita, vel in nihilum redacta: Germania suam existentiam conservavit.

Hollandus. Cur ergo non occupavit Italiam, aut Galliam, aut Hollandiam?

Germanus. Nolebat Persarum, Græcorum, Romanorum &c. vestigiis insistere. Tanquam in speculo vidit hos populos, eorumque interitum, bene gnara omnium magnorum Im-

periorum, & magnarum occupationum finem esse ruinam, atque eversionem. Qui Germani Romanorum libertatem oppresserunt, iidem neglecta sui regni amplificatione hodie etiam perseverant incolumes; forte, si Romanorum instar, vel Persarum Imperii fines protulissent, prostrati æque, ac Romani jacerent. Nemo exprobraverit Germanis præsentem rerum statum; tempora mutantur, at illi se semper conservabunt, semper suos mores, suamque existentiam tuebuntur.

Hollandus. Ain' alia tempora? Quis supervivet? Ubi potentia, quæ posset Galliæ æquiparari? Quæ vis dominatur Continenti?

Germanus. Dicito, amabo, ubi existat tam magnum regnum, uti Germania, quæ tam copiosum alit exercitum, tam multis splendidis Aulis; regis refertum est, quia tamen sub hoc onere fatiscat? Considera Austriam, & Borussiam. Hæ duæ gentes absque omni coactione, aut rerum perturbatione possunt sexcenta armatorum millia in aciem producere. Quantam autem efficiendi facultatem habent alii potentes Germaniæ Principes, si intendant suas bellicas vires? Tali fortitudine gaudet nostra patria, & hoc onus nec videtur sentire. Nullis quidem utimur Classibus, nullas habemus in Indiis possessiones, & ideo in portu navigamus. Illæ etenim Gentes, quæ istis abundant, majoribus involutæ debitis, suis sub oneribus ingemiscunt. Nobis nulla est Metropolis. Si aut Parisios, aut Londinum fuissetis nacti, in urbe principe omnes nationis divitiæ ad ma-

nus paucorum demigrassent. At nostra ædificia, splendidæ arces, & tot Principum sedes per totum Regnum dispersæ sunt, & ideo etiam opes per Germanicum territorium divisæ, & tributa secundum lenissimum percipiendi modum determinata. Si hac ratione prærogativas nostræ Nationis expendamus, non possumus non immortales Deo agere gratias, nos ex Germania esse oriundos; quapropter, uti jam asseveravi, ego mihi honori ducō, me esse germanum.

Hollandus. Sed dilectissime Amice! edisere, quæso, quo pacto tu tam præstantis nationis civis in Avernum descenderis, quo te adstrinxisti scelere?

Germanus. Nihil facilius, atque istud; nosti, quid agatur modo cum rerum novarum scriptoribus. Olim integrum erat aliquid dicere, quin illico sequeretur vindicta. Ephemerides sunt proprie collectio factorum, & rumorum. Justa pœna scribentium re novas erant summum piaculares flammæ; protulit quis, quod a veritate remotum videbatur, vocatum est in examen, & refutatum, sicque tota res fuit obliterata. Ast hodie protinus carceres tartarei denunciantur, e quibus evadendi nulla spes. Ita ego ex Hollandicis Ephemeridibus, in littore recessus Austrini compilatis, narravi, Gallicam Teloniam Classem ad Ulyssiponem fuisse profligatam. Ea re effectum est, ut omnium animi commoverentur, alii exultabant gaudio, alii lamentabantur, uti in mundo omnia plena sunt oppositionum. Abominandum virum lit-

toralem! Rumorem hunc eventus rei non confirmavit, ut quid illum ita asseveranter vulgavit?

Hollandus. De eadem classe etiam nunc adhuc varii sparguntur rumores: Die 4 Maji ita ajunt Venetiis, confligit cum Anglico Admirali Orde in oris Portugalliae maritimis, ubi utraque pars multum passa, sed neutra retulit victoriam. Amstelodami die 5 Maji eadem fama percubuerat eo addito, quod Gallico-Hispanica classis victa, in fluvium Tagum se receperit, atque Ulyssipone omne Anglorum patrimonium occupavit. Die 10 Maji Parisiis multus erat sermo, qui jam 2 Maji Perpiniacum, & Carcassonem peragraverat, Gallicam Hispanicæ junctam Classem reipsa appulisse Ulyssiponem, ibique 5 Anglicas primæ magnitudinis naves, 15 milliones piastrorum, fere octoginta minora navigia, ac denique 4 mille milites, qui Gibraltariam erant destinati, Anglis eripuisse. Dicitur hæc novitas per officiosum Madrito venientem cursorem fuisse Barcinone publicata. Contra ephemerides Anglicanæ de 5 Maji testantur, Ulyssipone 4 Maji Angliam attigisse navigium cursus publici, quod 14 Aprilis inde vela solverat, atque sequentem attulisse nuntium: Admiralis Orde cum sua classe 13 Aprilis revera intravit portum Ulyssiponensem.

Germanus. Talibus confusis rumoribus potest quis sibi vel improborum, vel beatorum sedes mereri. Vah nequam Hollandum in litore! Hem turpem, indignam relationem, quæ commentum erat! Hactenus multa fides

habebatur Hollandicis rerum novarum editoribus, at modo! — Pluto eos perduit! — Verum amice! qua de causa tu hic in orco?

Hollandus. Ego sum ille ex littore recessus Austrini; ego illa nova conscripsi.

Germanus. Quid tu etiam rerum novarum architectus? tu ille in littore? tu stygius buccinator rerum confictarum? tu corruptor ephemeridum?

Hollandus. Pone iram; dilectissime amicorum! Infernus politicus non ita calet, atque moralis. Illum licet frequentius subire, & iterum egredi; urit tantum puncto temporis. Ibi subinde nonnullis Ministris egregie calescit, sed qui iterum occurrentibus annis rumoribus usque ad sydera assurgunt. Dicamus salutem huic loco, & persequamur potius classem Teioniam in maribus. Cæterum futuris tuis novis insere hanc veritatem.

Caedibus 9 April. Generalis Moreau est in proœinctu abeundi, intra paucos dies una cum sua familia navigabit Neo-Eboracum. Ex 12 primæ magnitudinis navibus, quæ hic apparabantur, nonnisi sex poterant armari, atque excurrere, reliquæ non discedent tam cito, caremus enim nautis, quibus instruerentur.

Lipsia 5. Maji. Dominus de Novosiltzoff dicitur jam in itinere esse Italiam versus, & Galliam, ut de punctis ad universalem pacem pertinentibus tractent. Litteras liberi commentatus jam obtinuit; propediem Berolini exipietur.

*Resolutio Problematis anno praesente sub Nro. 1.
propositi.*

Sit sors primi = x^4 ; adeoque quinti = $500x$, ergo secundi erit = $900x$, nam $5:9 = 500x:900x$. Tertii = $800 \sqrt[3]{(x^4 - 900x) + 900}$, Quarti = $800 \sqrt[3]{(x^4 - 900x) + 900} - 1900 = 800 \sqrt[3]{(x^4 - 900x) - 1000}$. Hinc sequentes æquationes: $1000x = x^4$; vel $x^3 = 1000$, unde $x = \sqrt[3]{1000} = 10$; Quare $x^4 = 10000 =$ sorti primi; $500x = 5000 =$ sorti quinti; $900x = 9000 =$ secundi; Porro $800 \sqrt[3]{(10000 - 9000)} - 900 = 8900 =$ tertii; & $800 \sqrt[3]{(10000 - 9000)} - 1000 = 7000$. Itaque lucrum primi = $11250 - 10000 = 1250$; secundi = $10800 - 9000 = 1800$, tertii = $11125 - 8900 = 2225$; quarti = $9100 - 7000 = 2100$; & lucrum quinti = $7250 - 5000 = 2250$. Cum vero primus suas pecunias pro 5 mensibus dederit ad quæstum, habuit annum censum 30 a 100. Nam $10000:5:100.12 = 1250:30$, adeoque secundus 8 mensibus, tertius 10, quartus 12, & quintus 18 mensibus exercuit quæstum.

Isacus Schuster,
Francofurtensis Tabel. filius.

Hoc Problema ad suas regulas exegerunt
Offenbachensis G. H. Ehler. Hanoviensis Phi-
lippus, Lud. Emmel.